

## LIBER. IV.

De

RECTA.

GALLICÆ  
LINGVÆPRONVNCIATIONE PRO ILLIS QVI  
non callent linguam Germanicam.*De vocibus in genere.*

**G**ALLICA, lingua, vt verè Gallica est, omnes omninò syllabas clarè, distinctè, fluidè & suaviter vult pronunciarì, ita vt vltimæ sicut primæ audiantur, nec obscurè aut confusè, vt multi, qui vel primam ita producunt in proferendo, vt sequentes absorbeant, vel contra vltimam ita protrahunt, vt præcedentes leuissimè, imò fœdissimè efferant. Addidi fluidè & suaviter ad euitandam cacophoniam, seu malam & duram pronunciationem, quæ ex aliquibus Consonantibus & Vocalium concursu oritur: vnde in fine dictionum Consonantes aliquæ parùm audiuntur, vel omninò obmutescunt, quales sunt, *B. D. G. M. N. S. T. X. Z.* quæ tamen non sunt otiosæ, vt infrà patebit, reliquæ *C. F. L. P. Q. R.* debent clarè, leniter tamen pronunciarì, idque præcipuè si sequens dictio à Vocali aut *H.* muto incipiat, vel si orationis vltimum locum occupet, quando fit aliqua pausa propter interpunctionem: vt *Il est temps de dormir, temps de veiller, temps de pleurer & de rire*, tempus est dormiendi, tempus vigilandi, tēpus ludendi & ridendi. in quo exemplo *R.* in *dormir & veiller* effertur propter interpunctionem; in *pleurer* propter sequentem Vocale *S* verò in *temps* non auditur quia à Consonante sequens dictio incipit à *D* nimirum *Dormir*.

Notandum tamen est *E* in coniunctione copulatiuâ *Et* nunquã pronunciarì, siue sequatur Vocalis, siue Consonans. Similiter in  
*euxmes-*